



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Discursus XV. De alijs duobus modis, quibus in educatione prædicta
peccatur. Immeritò bonum Parentem dici, quisquis non caveat gravissima
duo peccata: quæ sunt: negare liberis, quam oportet ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

DISCURSUS XV.

Degeminis aliis peccatis, qua in Educatione filiorum admittuntur.

Sapientum effatum est, omnium Gentium consensu receptum, non posse filium ex æquo Parentum beneficia compensare. *Quid quid fecerit filius, nihil beneficium à patre acceptis dignum fecit.* Huic communi doctrinæ non repugno, sed ut veram amplector, eamque meo assensu affirmo. Scire tantum aeo, quale bonum sit vivere, si non vivitur bene? *Non est bonum vivere, sed bene vivere.* Ethnici vox est, in tenebris suis veritatem hanc agnoscantis. Parentes corpus nobis dederunt, hostem domesticum Spiritus, & in peccato nos genuerunt; & dum membra peccato originis infecta nobis subministraverunt, quibus cum Anima stricissimâ unione colligatur, simul omnium vitiorum materiam suppeditarunt; unde Anima, quæ in Dei manibus est purissima, cum carnem nostram subit, illico redditur immunda. Quantum repeto, igitur beneficium est hoc, si Parentes gravissimam hanc calamitatem bonâ educatione non emendent: nec omni contentione student, ut plagæ illæ ac vulnera, quæ ab illorum, manibus, etsi non id spectantium, inflicta fuere, cicatricem obducant? reverâ, quantumcunque sit be-

neficium, vitam à Parentibus accepisse, est tamen oppidò imperfectum; & ideo, ut ad tuam perfectionem perducatur, & omnibus absolvatur numeris, aliis duobus non levibus peccatis obviandum est, quæ in præsentî proponere decrevi, quæque ubi à vobis emendata videro, tunc enim verò credam, quòd titulum Patrum ac Matrum ex vero promereamini. Sunt autem hæc duo: primum: Negare filiis libertatem, quam jure concedere oporteret; alterum verò; libertatem illis concedere, quam jure oporteret illis negare. A primo ordiamur.

I.

II. Libertas, quam filiis concedere oporteret, negari autem per frequenter solet, est illa, quâ viri statum, ad quem ipsi inclinatione suâ feruntur, eligere liberè possint. Erit quandoque Patrem reperire, qui in coronâ filiorum suorum jam grandiusculorum vesperi ad ignem consideat, ac cum uxore suâ hujusmodi colloquium occipiat: Hunc (& ex maribus natu maximum designat) destinamus Sacerdotio; alteri de uxore providebimus, ut familiam propaget. Ex duabus filiabus natu majorem matrimonio illicabimus; alteram ad nostræ domus usus nobiscum retinebimus, & sic sumptibus, quos in ancillam semper atendam

C c 2

Arist. l. 8. mor. c. 10.

Seneca l. 3. de benef. c. 9.

dam expendere necessum foret, parcemus. Verum parcius ista. Est hoc, ex panno alieno sibi vestem concinnare. Quis vobis Patribus tantum contulit auctoritatis in voluntates filiorum vestrorum? Si ille, quem vos Sacerdotem vultis, lapsu temporis amoribus implicetur, malis artibus animum adjiciat, nec diem intermittat, quo non innumeris sese Immunditibus inquinat; an non hujusmodi filium vestrum perpetuo castitatis vinculo obligare, idem est, ac catentâ eum igneâ constringere? Et si filia illa minor, exemplo vestro incitata, quodâ vobis, eodem lecto maritali concumbens (neque hîc plura à me petite, ne quædam in medium afferam majore Zelo, quàm prudentiâ; cum non semel hodie non Dæmonum, sed Parentum magisterio liberi primò condiscant nequitiam) accepit, ipsa inquam illa filia minor, quam servam domesticam vultis, suomet ingenio maritum fictitium sibi inveniat, cui legitimum dare renuistis; an non, dum domo eam vestrâ concluditis; pro salario, quod tanquam famulæ debetis, æternam damnationem appenditis? Et si utraque hæc anima vestrâ destinatione sempiterno exitio involvatur, quis, nisi vos, qui ad interitum utriusque tam strenuè operam vestram junxistis, ad Dei tribunal rationem dare compellitur? Revera nullum est negotium momenti majoris, quod tamen minori curâ & clausis velut oculis peragatur, quàm statûs electio. Filii cæcorum more ductum Patrum sequuntur; & Patres apertis oculis solum, quod

vocant, Interesse, & lucrum suum sectantes, Filios in fossam ejusmodi precipites agunt, ex qua per totam deinceps æternitatem non sint emeraturi.

III. Id quod præcipuè in statu Sacerdotali manifestum sit, in cujus electione quandoque plus satis apparet, quòd nec Patres nec Filii satis intelligant, quid sit, esse Sacerdotem; cum hi, rebus minimè perpensis, ad Sacros Ordines accipiendos accurrant; illi autem ad eos suscipiendos impellant, solius emolumenti temporalis inde colligendi studio. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*: dixit Apostolus, & hoc tam procul omni dubio, quòd nullus debeat officium ac munus gravissimum suscipere, nisi manifesta à Deo vocatione excitatus, ut S. Paulus pro eo, quòd hanc veritatem commendaret, tanquam in utrumque deducendam, jam præsupposuerit, eam in utrumque deductam, & hinc usus non est verbis imperativis: *Nemo sibi sumat honorem*: seu nemo tam sit audax ac præsumptuosus, qui hujusmodi dignitatem sibi arroget, sed verbis solùm assertivis: *nemo sumit*. Utinam de nostris etiam temporibus verum esset, id quod de antiquis! primis Ecclesiæ temporibus multâ industriâ inquirere oportebat in eos, qui munus adeò sublime ac difficile in humeros suos admitterent, & tantùm non vi illarâ initiandi erant; dum sub ipsam initiationis actum in gemitus effusi toto corpore contremiscebant, Nunc ve-

rdremenda hæc dignitas eo loco habetur, quo sordidum opificium, majorque pars Christianorum Parentum sacro Altari non verentur uti pro Basi, quâ fulca eorum Domus ac Familia aliquanto altiùs surgat. Non nego, esse perquam mul. os ex Clero, qui minus Sacerdotale pro dignitate sustineant; forsan autem non æquè multos inveniemus, qui ad illud, quâ decet, viâ ac modo pertigerint. Certum esse reor, repeti illa à Deo verba posse, quæ per Jeremiam protulit: *non mittebam Prophetas, & ipsi currebant.* Notate vocem *currebant*; neque enim contenti erant gradatim ascendere, ad soliam tam sublime; sed pleno cursu eo ferebantur, cum per saltum promoveri eò jam non possint. Volo dicere, nonnullos ætatem communi jure stabilitam procuratis Dispensationibus præcurrere, & speciosum devotions titulum obtendere; reipsâ autem aliud nihil, quàm stipendii accelerationem querere, Quin etiâ concedamus illorum vitam, Prophetarum & Sacerdotum esse, Prophetarum tamen, & Sacerdotum Vocatio hæc non est. *Ipsi regnaverunt, & non ex me.* Et quid minus est rerum ordini conveniens, quàm velle hominem suâmet voluntate ad statum naturâ suâ superiore ascendere? Aer suâmet virtute nunquam fit ignis: sed solem, à quo immutetur, exspectat. Sic etiam Deus non vult, ut suis quisquam pedibus ad dignitatem humanâ majorem, qualis est Sacerdotum, se efferat, per Aularum vestibula circumcursando, donaria offerendo, libellos supplices porri-

gendo &c. sed vult, ut quisque expectet, donec assumatur tanquam Aaron ^{Exodi} à Deo: *Applica ad te Aaron.* Vult, ^{28. 1.} ut ipsi unusquisque liberum relinquat, cujus velit virgam florere; non vult, ut artificio quodam flos è virgâ, ex se non florente, progeneretur, eâ ferèratione, quâ hortulani nostri vel repugnante anni tempestate plantas florere faciunt. Verùm enim verò, monita hæc, quæ Sanctis omnibus identidem in ore erant, tanquam summè necessaria & omnino observanda, hodie ut aniles scrupuli explodantur. Nec enim animum advertere lubet ad periculum, cui se exponit, qui sine debita vocatione ad Sacros Ordines intrudit; & in negotio verè maximo Dei voluntatem non exquirit, sed solam in consilium adhibet Ambitionem, aut Avaritiam, aut imperitorum Parentum judicium, qui tum se fortunatos somniant, cum vel ipsam Ecclesiam suæ familiæ commodis stipendiariam, aut famulam viderint. At væ filiis illis, qui hæc in re parentum suorum consilia audiunt! in fine sentient, quòd ductibus viæ suæ infidis sint usi.

IV. Insulæ Taprobanzæ populi, cum noritiâ magnetis destituti essent, & tamen navigare vellent, aves quædam adhibebant, quæ, ubi è navi liberæ dimissæ erant, naturali isto instinctu, quo ad vallem suam reperendam ferebantur, ad terram revolabant, eâsq; navigantes sequebantur. Verùm advertite, quàm infelix esse soleat eorum conditio, qui ab his se duci sinunt, qui rationis usu destituuntur. Illæ ipsæ

volueres, etsi volatu suo ostenderent, ubi tellus esset, non littora tamen, non portus, aut maris sinus indicabant: unde fiebat, ut miseri Naucleri, praeuntes securi, non raro in scopulos impingerent, & diffractâ navi mergerentur. Idem prorsus contingit illis, qui absque Stellarum cogitatione mari se committunt, seu, quod idem est, statum quendam arripiunt, eumque periculosum, à Deo non vocari, solamque humanis se moriis regi patiuntur; qualia sunt, auxilio cognatis esse, opes in familiam titulosque inferre. Hi naufragium passi, aut, ut clarius dicam, aeternae beatitudinis jacturâ multati serò nimis intelligunt, longè se aberrasse, quòd Caelum & os Domini in negotio gravissimo non interrogarint antè, quàm illud aggredierentur, nec iis usi sint mensuris, his artibus, quibus solis in portum tutò appellere conceditur. Quod autem de statu Sacerdotali dixi, proportione quadam de omni alio dictum esto. Quare nulli non Patrum incumbit, ut filiis suis serò inculcet: ut commendent se sapius Deo, quò suam voluntatem manifestare dignentur; ut Pœnitentiæ & SS. Eucharistiæ Mysteriis crebrius usurpandis se addicant; ut Imaginem etiam quandam Sanctissimæ Matris Virginis, piis colentium studiis celebrem, piè visitent, eum in finem, ut in opere summi momenti expediundo, & à quo quasi totum dependet salutis nostræ negotium, dirigi mereantur. Christiano siquidem post Gratiâ finalem, nulla à Deo major conferri potest, quàm si

detur illi, bene inchoare, Idque vitæ genus amplecti, in quo Deus illum vult vivere; & sic Divinam ejus providentiam in omnibus sequi: non autem temerè illam præire, nec tam duci velle, quàm ducere.

V. In hac ipsâ materiâ alius quisplam error non levis momenti mihi occurrit, quem contra filiorum libertatem committitis; & est, cum, etsi eorum electionem non impeditis quoad vitæ genus, in eo tamen filium aut filiam collocare vultis invitos ac repugnantes. Erit nonnunquam, quem non pudeat sexcentis minis, & manu baculo armatâ cogere filiam, ut huic potiùs, quàm illi nubat. Nisi contuleris, dicet, neque tu patrem me porro compelles, nec ego te filiam credam. Unde necesse est, ut cervicem inclinet misera, & jugum subeat sanè quàm molestum; Maritum inquam ferat, invitâ obrutum. Quid autem? An Patens injustus gravi dein religioni sibi ducit, injuriam tam palmarem intulisse? tantæ omnino, & non majori, quàm si restitantiem alicui huic potiùs, quàm illi arbori alligasset. Nascuntur subinde ex Matrimonio ejusmodi coactò tot peccata, adulteriorum, odiorum, discordiarum, quin & cædium nonnunquam ac machinationum, ut Parentem, si priùs ea secum animo reputaret, marmore oporteret duriores esse, si ferre ea posset, ne dicam, si auctor eorum esse vellet. Sacrosanctum Tridentinum Concilium anathemate illos Parentes ferit, qui filias suas invitas ac repugnantes ad vitam Monasticam compellunt,

pellunt. Unde, licet dici non possit, hanc ipsam pœnam etiam in Parentes extendi, qui huic potius, quàm illi marito nubere compellunt, rectè tamen inde universim colligitur, quàm cordi sit Matri Ecclesiæ, ut sua filiis libertas constet, quod maluerint vitæ genus eligendi. Hoc posito, in nullo unquam casu licitum est, filiam filiumve matrimonio elocare, nolentem ac repugnantem: imò ne precibus quidem importans ita fatigandisunt, ut à villæ nihil differant; in puellis præcipuè, quæ naturâ suâ præ maribus timore ducuntur, ac verecundiâ. Quod si concessum nunquam est, eum filiaë maritum obrudere, quem illa non vult; rarè quoque licitum erit, eum illi maritum negare, quem illa vult, præsertim, ubi aliqua jam promissio intercesserit. Et tamen nunquam ferè Parentes desunt, qui id agant: nec id tamen culpæ sibi ducunt, vel ex immani illâ ignorantia, quacum adoleverunt, vel ingenti cæcitate, quam opum cupiditas & amor inducit, qui unus in his litibus Arbitet eligitur; Arbitet sanè haudquaquam legitimus, utpote unius tantùm, & non utriusque partis optione ad arbitrandum lectus.

VI. Negari quidem non potest, quin à liberis prudentia & officii ratio postulet, ut Majorum suorum, utpote expertorum, consilia hoc in negotio audiant; confidantque, plus se, obedientiæ merito, felicitatis à Deo in ejusmodi contractibus consecuturos. Ubi tamen ipsi à Parentibus eâ in re dissenserint, fixum ratumque esse

debet, quòd nullo jure, nec absque gravi peccato cogi possint ad abdicandum se communi cunctis libertate. Sueffione Galliaë civitate, nobilis ordinum Ductor filiam habebat, formâ ad miraculum insigni; hæc à multis experta in Sponsam, Patris sui destinatione cuidam & malitiâ & natalibus claro Juveni erat desponsata. At filia, quæ alium quempiam adamaverat, discretè proficebatur, se conjugio à patre sibi proposito nunquam assensuram. Ingens hinc in familiâ dissensio. Affirmabat filia pater: Fidem ego meam obligavi: standum omnino promissis est: cum tibi, quem petis, maritum concedam nunquam; cum ille & opibus, & familiæ suæ splendore nobis æqualis non sit. Puella vicissim reponebat. Obligaveris, Pater fidem tuam; at non ego meam: si maritum, quem opto, habere me non permiseris, ratum fixumque est, vim mihi meis manibus inferre, & invisam vitam abrumpere. Et hæc sua dicta jurejurando identidem affirmabat. Adeò ut ad definiendam tandem licem necesse habuerit parens filiam ad sanctum Antistitem Arnulphum adducere, eique controversiæ arbitrium permittere. Audite sententiam viri Sancti & Deo pleni! ad patrem enim conversus agebat: æquum non est, ut filiam invitam matrimonio jungas. eique maritum, quem tam instanter efflagitat, neget: temporè oportebat invigilare, ne amorem hunc versùs Juvenem illum conciperet. Deinde filiam consultus & tu, inquiebat, habebis, quem vis: bre-

breveramentum erit gaudium. Et ita omnino evenit. Maritus enim, quem deperierat, non multo post tempore occisus viduam reliquit, vix dum Sponsam. Hinc discant velim Patres, filios suos non privare libertate; filii autem non ita cæcis animi sui moribus in hære, nisi velint isti us suæ inobedientiæ serâ pœnitentiâ tangi, dum libertatis suæ prærogativâ abusi sunt, quæ quo est nobilior ac præstantior, hoc minus illi sine consilio fidendum.

II.

VII. Ut autem hæc ita sint, novimus tamen, vim illam, quam Patres filiis suis inferunt, dum status eligendi libertatem iis præscindunt, minus esse frequentem ac usitatam. Aliud est, quod animum meum acerbè vulnerat; Libertas nimirum illa, quæ in omnifere familiâ nimis quam indulgenter filiis permissitur, eaque triplex, v. dendi nimirum, conversandi, & sine arbitrio inter se agendi. Unde fit, ut miserè, obreutu matrimonii conciliandi, quædoque non agant minus, quam vinculo matrimonii jam constricti. Abusus ipse ante alios omnes mihi dolet maximè, & necessitatem imponit cum Prophetâ ingemiscendi: quis dabit mihi fontem lacrymarum, ut plangam innumeras, quæ quotidie plures hac abyssomerguntur, Animas. Prima libertas est, *Videndi*. Si quod tempus est, quo filias custodire oportet, tempus est adolescentiæ, ait Aristoteles. Ratio est, quia ex unâ parte ætas illa insolitâ quasi voluptatum fame stimularur; ex alterâ, quod voluptatem nunquam experta sit, eam sibi longè

suaviorem repræsentat. Quâ de causâ nulla Parentibus custodia videri tunc debet nimia; & quemadmodum illi, qui in Canticis Canticorum super sorore adhuc dum viro immatura consilium inierunt, non antè dixerunt: *Soror nostra parva est, & subera non habet*, qui illico subjungerent pleni zelo: *quid ergo faciemus sorore nostrâ?* id ipsum facere etiam vos par est. Filiam habemus, deberent Parentes ad invicem dicere, in ipso primæ ætatis flore. Sororem habemus, debetis & vos fratres dicere, ætate omnium maximè lubricâ adolescentulam: quid igitur faciemus, ut ne extra custodiam sit? Verum est, videtur dotata egregiâ indole, ut spem faciat, statutam mure instar ad omnem assultum solidissimam. Nihilominus tamen magis securos nos reddamus: *Si murus est, ^{Canti} adificemus super eum propugnacula*, *Fa. 8.* ^{8.} *ciamus antemurale, ne videatur; neque enim ulla cura, custodia ulla, quæ puellam satis custodiat, supervacanea est.* Sapiens quidam Spartanus, cum Thebana civitatis muros undique altissimos contemplaretur, interrogatus, an mœnia satis alta crederet? prudenter respondit, satis alta non esse, si deberent feminas custodire. Ad eoque, *si murus est, adificemus super eum propugnacula.* Oportet, non solum illas custodire ab oculis externorum, sed ab oculis etiam domesticorum: ad imitationem sapientissimæ Judithæ, de qua S. Spiritus affirmat, quod non solum in publico videndam se non exhibuerit, sed ipsa quoque domi suæ ^{Judithæ} *velut in stereo vixerit; In superioribus* ^{8. 9.} *domus*

domus sua fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. Et tamen Patres Matresque non solum periculosa hujus ætatis filias non includunt, sed ad fenestras liberum eis prospectum permittunt, quin & subædium foribus, quantum volunt, oculorum oriunt: quin, quod adhuc pejus est (audebõne dicere?) quin quod adhuc pejus est, ipsimet Parentes in omnem occasionem invigilant, quã eas discoopertã fronte, facie minio depictã, sinu, brachiis & humeris mediam partem nudis ad choreas seu publicum mercatum oculorum (plus non dicam) & desideriorum deducunt. Hoc faciunt Parentes Christiani, Turcæ non faciunt. Ita est, Turcæ, quos imò novimus in hac filiarum custodia, præquam ulli alii sunt, solertissimos) non faciunt. Faciunt Parentes Christiani, postquam sacro in Baptismo polliciti sunt, renunciare Mundo & Diabolo, & postquam tot annos Legem talem professi sunt, quæ summam filiorum curam eis inculcat.

VIII. Verum quid mali est, dicetis, filiis ac filiabus libertatem se mutuo contemplandi concedere? Quid mali est? Imò non errabit, qui omne malum dixerit: *Nequius oculo quid creatum est?* clamat Spiritus Sanctus, & vos dicitis; quid mali est, si juvenes oculis proentur? cui credam? vobis? an Divinæ Sapientiæ? Medici à nullo magis sensu dispositionem corporis bonam malãve colligunt, *l. x. epid. quã ab oculis; Nullã ex parte tot scilicet. 20. signa, quã ex oculis accipiuntur:*
R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

verba sunt Hippocratis, Medicorum Principis. Mihi credite, hac eadem regulã in animi quoque habitu utendum est, an sanus ille, an infirmus sit ac debilis: *Ut valent oculi, sic totum in lib. 61 corpus,* ait ille, & *ut valent oculi, sic Epid. tota anima,* vos dicite. Si sincerum de conjugum vestrarum honestate judicium terre cupitis, illarum oculos observate & de integritate aut dissolutione argumenta habebitis minimè fallacia, *Fornicatio mulieris in extollentiã oculorum agnosceatur,* dicit Spiritus Sanctus, *& in palpebris illius.* Difficile omnino est, videre & non desiderare! & tam difficile, quã difficile est, sclopetum in foco ignem concipere, & illum intra non propagare. *Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus.* Et hoc longè magis quando non obiter tantum, sed meditato, & per moram aliquid contuemur. Nam, si quandoque contingit, ut forma illa, quæ oculis delibatur tantum, aliquam cordi violentiam inferat, quam vim faciet, quæ quasi ex destinato respicitur? *Aspectus itaque, cogitatio, & desiderium velut annulli quidam catenæ sunt, attracto uno omnes sequuntur.* Unde fit, ut rara omnino illa peccata sint, quæ non ab oculis originem suam trahant. Quã de causã sapientissimè Seleucus, Locrensis sum Legislator, statuit, ut adulterogemini oculi eruerentur; quia, dicebat, ad mali radicem fodiendum est, ac curandum, ut primi sint ad pœnam, qui primi fuerunt ad culpam. Certum est, quod S. Scriptura oculos nostros præcipuè reos agat peccatorum nostrorum,
Dd rum,

rum, dum exempli gratia non idololatrias fornicatorum nomine compellat, sed oculos eorum: *Contrivi oculos eorum, fornicantes post idola sua.* Non nequam Invidos, sed oculos eorum: *Nequam est oculus lividi.* Non Avaros insatiabiles, sed insatiabiles oculos eorum, *Insatiabilis oculus cupidi.* Non turbatos Furentes, sed turbatos oculos eorum: *Turbatus est à furore oculus meus.* Et universim loquendo omnis Legum transgressio, transgressio oculorum compellatur: *Unusquisque offensiones oculorum suorum abiciat, & omnis abominatio animæ abominatio dicitur oculorum. Unusquisque abominatines oculorum suorum non projicit.* Quam veritatem toties Scriptura repetit & inculcat, ut aliquando tandem capiamus, & refrenando oculos, omnibus aliis peccatis fores ocludamus.

IX. Quid dicitis ad hæc? an adhuc audebitis mendacium tam enorme effari, quale est, libertatem, quæ ad mutuos conspectus juvenibus indulgetur, innocentem esse, & periculo vacuam? quisquis hoc dixerit, Divinam manifestè sententiam impugnat. Unde omnino verba Ecclesiastici firmissimâ custodiâ tenere: *In filiâ non avertente se, firma custodiam.* Cùm filiam habetis, quæ videntium se oculos non subterfugit, ex oculis eam vestris non dimittite: *firma custodiam:* secus enim, cùm occasionem mali faciendi nacta fuerit, certò illam arripet: *ne inventa occasione utatur se.* Neque hoc solùm; sed quamcunque oculorum levitatem in eâ notaveritis, nolite fidere: *ab omni irreverentia*

oculorum ejus cave. Quod si non feceritis, certi estote, quòd si postmodum vestris eam desideris obsequentem volueritis, protervè resistentem & insigniter contumacem sitis habituri: *nemireris, si te neglexeris.* Ita DEUS ore Ecclesiastici.

X. Et utinam malum, de quo dixi, non ultra progrediretur! siquidem Parentes contenti non sunt hac solùm ratione Juventutem perdere. Præterquam enim, quòd se mutuo contemplari liberè possint, omnem in super facultatem nanciscuntur, quâ familiarissimè, & velut domestici essent, colloquantur, & commorentur. Quotidie circa vesperum fores panduntur, & quotquot vicini Juvenes sunt, liberum habent aditum. Qui si non suâ sponte veniant, invitantur. Consideratur ad lumen tenue, & vix lumen. Non linguis tantùm, sed & manibus campus excurrendi uberrimus patet. O abusus non deplorandos tantùm, sed execrandos! Quærunt nonnulli, quo idiomate, quibusve verbis locuturus puer esset, qui in sylvâ inter feras lactaretur, quin unquam hominem loquentem audiret? Est, qui respondeat, locuturum hujusmodi hominem linguâ Hebraicâ, quæ non solùm omnium prima fuit, sed ante diluvium toti Mundo communis. Res tamen ipsa est; hujusmodi parvulum nullo idiomate locuturum, ut qui nullum didicisset; id quod in iis experimur, qui surdi nascuntur. Quid hinc infero? mecum et ipse perpendo, quam malitiam nôset filia quæpiam, quæ semper secum sola constitisset: credo, nul-

Epist. 9,
4.

nullam; è domo Patris sui ad domum mariti excederet talis, qualis ad domum Patris à sacro Lavacro rediit: *Erras, Senecæ verba sunt, si putas, vitia nobiscum nasci; ingesta sunt.* Quâ igitur aliâ portâ Cacodæmon ingrederetur, si hæc, quâ de loquimur, bene clausa foret? Ex quo facile colligitis, quanta Patribus Matribusque reddenda ratio incumbat, qui non solum januam hanc non occludunt, sed suis cardinibus movent, ut occludi porro non possit; & pro eo quod in amores & procos invehantur, omnem iram exonerant in illos, qui abusus ejuscemodii execrandos infectantur. Dicit non potest, quantum roboris ac efficaciam habeat ad immutandos mores familiaris conversatio. Sint immaculati, sint innocentes filii vestri, sint ipso etiam argento candidiores, mihi credite, non durabunt, ætatem non ferent. Etiam argentum, cum manibus tractatur, nigrescit. Oculos vestros parte unâ in DEI Matrem convertite, quæ ad vocem Angeli turbatur? *Turbata est in sermone ejus:* Ex alterâ parte Evam respicite, quæ ad vocem etiam serpentis non perturbatur; & agnoscetis, quodnam prudentem inter & stultam filiam sit discrimen. Filia, quæ ingenuæ sunt, etiam suos domesticos verentur, & in præsentiam fratrum quoque ruborem in vultu produunt. Quæ verò stultæ sunt, etiam, cum personatum diabolum contuentur, non expavescunt. Ex quâ impudentiâ ominati aliud nihil licet, quàm jacturam honestatis non æstimatæ, familiarum Interitum, famæ & animæ exitium.

Luc. 1,
19.

XI. S. Antoninus die quadam Florentinam urbem perambulabat, & cum fortuito oculos levaret, paupere super tecto chorum Angelorum, festivè tripudiantium, conspicit. Notavit plateam Sanctus, & in eâ domum; & cum in habitantium conditionem inquisivisset, intellexit, quod eâ honestissima quædam vidua cum tribus omnino filiabus moraretur, tantâ in paupertate, ut sine calceis, neque cæterâ bene vestitæ, dies noctesque insumerent ad vitam necessario victu producendam. Facile divinabitis, cum Sanctus hic Archiepiscopum in alios quoscunque pauperes liberalem se exhibuerit, in hasse, ut ita dicam, prodigum exhibiturum. Crumenam nummis implevit, & ad Matrem destinavit, cum dicto: bono esset animo, neque enim aut ipsam, aut filias, quàm diu quidem ipse Archiepiscopus foret, porro cum egestate luctaturas. Verum, quis crederet? hoc loco elemosyna in venenum cessit. Juvenculæ enim, jam decorè vestitæ cum non egerent, omisso labore, ad fenestras excubabant, & sub matrimonij prætextu in omnem viciniam procaces oculos dimittebant; quo factum, ut tres istæ columbæ paucos intra dies in noctuas degenerarent. Pauci menses abierant, cum B. Antoninus eadem plateâ transiens in Viduæ memoratæ domum, tectumque oculos conjicit. At, quantum mutata rerum facies! Vidit jam non cælestis aulae Genios, sed averni damnatos spiritus, qui fatuorum instar in tecto saltitabant. Causâ tantæ mutationis cognitâ om-



sit & ipse beneficentiam suam, quam in animarum exitium cedere intellexit, oleumque lampadi subtrahit, quæ, pro luce gratâ, turpem fumum diffundebat. Quid autem agebant domus hujus filia? Haud sanè dimidiam partem malorum, quibus filia modò vestrae conspurcatur. E fenestâ prospiciebant vagæ oculis, nihil aliud; non colloquebantur diu noctûque cum Amaliis; non in ædes suas illos evocabant, non ad latus iis assidebant, non manus eorum stringebant: & tamen Cacodæmones illarum in recto saltitabant. Oportebit igitur dicere, non solùm saltitare supra domorum vestrarum tecta Dæmones, sed & in ipsis penetralibus, ad focum vestrum, ad quem omnis generis spurciloquia audire est; sub foribus, sub quibus quandoque plus manus habent, quod agant, quàm linguæ; in stabulis, ubi fiunt, quæ bestiarum sunt; verbo, nulla non ædium vestrarum parte suis stygem saltibus & choreis indulgere.

XII. Quid si autem præter videnti & discutendi libertatem filiabus etiam conliveretis, ut solæ cum solis agerent? an non miraculo opus foret, ut non contaminarentur? quis autem credat, fore ut Deus miraculum faciat, quo licentiam hanc aut malè quæsitam, aut malè concessam confirmet, ac illam defendat, quæ nullâ causâ manifesto sese periculo exponit? *Eccli. 2.* *Quis miseribitur Incantatori à Serpente percusso? Nemo illum miseratur, qui obstinato animo ipse suum sibi malum accersit. An quis sine horrore videat, Juvenem solum cum solâ*

loqui in angiportu, in sylvâ ab hominibus remotâ? S. Bernardus non se tenet, quia exclamet: *Intras solus ad solam! vah, vah! lupus ad oviculam:* Et vos sine timore estis? ac dicitis, sic consuetudinem polcere, sic moris esse? Quid juvat, filiabus identidem occinere, ut honestatis rationem habeant, si interea omnem eis ansam ad vitia subministratis? famelicos ad mensam lautè instructam adducitis, & jejunos eos subinde assidere jubetis. Quid prodest, cum visitantur, reverentiæ admonere, quas interim solas sine arbitro relinquitis? Sepem circa hortum tollitis, & vicinos, ne damnum inferant, exhortamini. An ignoratis, non alium in Mundo Diabolum potentius tentare, quàm malam occasionem? Dæmon iste Dæmoniorum est. Unde Sancti, qui rei hujusce optimègnari erant, non aliud magis formidabant. Quando S. Antonio Inferni illi Spiritus monstrorum specie apparebant, & modò velut ursi, lupi, ac leones, modò serpentium formâ in eum impetum faciebant, velut devoraturi; ridebat Sanctus, ac dicebat: plus satîs apparet, quòd nullius roboris sitis, dum tam multi ad me unum venitis. Si quod vobis robur, si qua virtus esset, sufficeret vel unus; & sic omnes baculo fagabat. At verò ubi mulier ad cellam se stitit, tunc enim verò cohorrui, se abscondit, ad orationem confugit, clavem à serâ abstraxit, vestes & catenas obduxit, ut ne audiret quidem. Animadvertitis, quanto conatu viri sancti pravam occasionem declinent? omnibus illam

Dæmo-

Dæmonis magis metuant; & vos dicis: nullum subest periculum?

XIII. Acquiescerem, plura non dicurus, si nunquam ex maledictâ hac libertate aliud quid consequeretur, aut quod consequitur, non resciretur. Audimus autem sapissimè, nunc de hac puellâ sermonem inferri, quæ cum pudore honorem suum perdidit; nunc de illâ, quæ metu Magistratûs sponsalia contraxit; mox de aliâ, quæ factâ pudicitia jacturâ manus omnium agnatorum arnavit, quibus fixum est, infantiam nomini suo illatam vindicare. Fructus hî sunt indulgentiæ illius libertatis, quam derector; & eam non fugiatis? Africa regio est, quæ singulis ferme diebus nova in lucem monstra producit, quis nescit? rationem pericis, & causam? dabo. Regio est aridissima, quam pauca admodum flumina irrigant; unde fit ut feræ, quæ arenosas illas sylvas habitant, cum urgente siti ad bibendum perurgentur, frequentes eodem loco conveniant. Et sic, utut diversæ sint speciei, dum consuetudine quadam quasi domestica sociantur, Leones cum Tigrilibus, & Ursi cum Pantheris, Crocodili cum Draconibus, ejusmodi prodigiosos partus progenerant, qui magnam hanc Mundi partem infamem faciunt. Superfedeo apologo, quia pudet tamdiu de eadem re loqui, quam fieri potest non uni tantum vestrum infelici nimium experienciâ abunde innotuisse.

XIV. Et ut hæc experientia abesset, fides saltem adhibeatur, ait S. Augustinus, aliorum experimentis, ac fatea-

mur, omnium passionum maxime infrenatam ac indomitam esse. Amorem. *L. 11. sup.*
 Duo omnium sapientissimi, quos *Gen. ad*
 Mundus habuit, ait Sanctus iste Do- *list. c.*
 ctor, fuere Adam & Salomon; utrius- *42.*
 que enim Magistrum ipse DEUS egit, cum sapientiam plusquam humanam infudit: utrumque tamen infatuavit Amor. Adamus quidem in gratiam mulieris, pomo accepto, se, & omnem posteritatem suam perdidit, jusque, quo ipse cum omnibus posteris ad hujus alteriusque Mundi possessionem gaudebat, uno bolo abligavit. An major hæc stultitiâ inveniri queat? Salomon autem mulierum amore infaniens eo delapsus est, ut Dæmonem in idolis adoraret, totque aras ac templa extrueret, quot Deos ipsius uxores venerabantur. *Depravatum est cor ejus 3. Reg. 12*
per mulieres, ait sacer texcus, ut sequeretur Deos alienos. Quis unquam credidisset, à viro sapiente tam enorme facinus perpetrari posse? & tamen ita est. Quin, si tertiam quoque his adjungi vultis, adjungam. Aristoteles, *Apud Pe-*
 qui teste Averroë, ingenii acumine ac *rorium*
 perspicacitate pertigit, quâ homini *l. 5 de*
 mortali fas est, amore tam insano *c. 1.*
 amantiam suam persecutus est, si Theo- *lib. 8.*
 dorero credimus, ut non erubesceret, *docur.*
 eam jam mortuam, Deæ in ster cælo *Præc.*
 receptæ, adorare, quæ tum cadaver be- *affect.*
 stia in fossam aliquam abjectæ tetro-
 fœore ac deformitate superabat. Pa-
 ri passu Amor & Vinum procedunt:
Vinum & Mulieres apostatate faciunt
 sapientes: sicut enim qui ebrius est, ad *Ecclie*
 ea perpetranda impellitur, quæ sobriè *19. 2.*
 potus, & expedito rationis usu nun-

Aristot
 l. 8. hist.
 anim.
 c. 28.

quam admitteret, sic Amans tam multa rationi dissentanea cæcus operatur, ut, si non amasset, nunquam ad ea admittenda induci potuisset. In fabulis suis Antiqui fixerunt amorem, eum adhuc parvulus esset, cum Stultitiâ aliquando jocatum fuisse. Hæc, ut vel ludibunda furit, alternos inter jocos, Amori oculos erunt, quo factum, ut in hujusce criminis pœnam, Amorem, quacunque jerit, deinceps ducere iussa sit. Pulcherrimè fabulâ hæc veritatem declarat, cum amoris passio alio duce non utatur, quàm eadem, quæ illum excœcavit, stultitiâ. Qui igitur sit, ut tantum vos vestris juvenibus fidatis, ut primò sinatis illos liberrimè inter mutui amoris indicia conversari; subinde autem, cum jam ebrius amor est, solos eum solis majori temeritate agere permittatis? An illa passio, quæ mortalium sapientissimos excœcare potuit, puellam etiam ætate & iudicio infirmam, & adolescentem perinde fragilem de statu sanæ mentis dejicere non poterit? nec creditis, strictissimam vos DEO rationem reddituros, quod filios ac filias vestras in evidentia pereundi pericula incutere volentes videntesque permiseritis? quod sicam à vobis DEUS expetiturus est, cur non in planam, magisque securam viam eos reducit? usque ad eone crudeles eritis, ut cum animas vestras, ac liberorum vestrorum impendio ac labore tam parvo in salutem afferere possitis, humeros oneri tam levi subducatis? Peccant parentes, si filios à suspectis sodalitiis non separent, tantòque gravius peccant,

*Navar.
in sum.
c. I. n.
I. S. Bon.
de pra.
cept. disp.
3. sect.
unic. p. 6.
n. 3.*

quo hujusmodi sodalitia magis fuerint suspecta. Neque necessarium est, fuisset oculis videre, quæ sunt turpia, ut impedire teneantur; sufficit rationabili duci suspitione. Quæ autem motiva magis esse convincentia possunt ad suspitionem de ejusmodi conversandi modo concipiendam, quàm quæ adducta sunt hæcenus?

XV. Saltem edicite, quo fundamento nitamini, cum aliter, quàm dixi, operamini? fortassis, multorum similiter facientium exemplo? At, S. Eucherij doctrina est? *Quid nobis in illo DEI iudicio proderit multitudo, ubi singuli iudicabuntur?* DEUS, cum sententiam aut pro vobis, aut contra vos feret, non quæret, an alios secuti sitis, sed an se. Imò multitudo vobis incitamento esse deberet, ut contra, quàm illa faciat, faciatis; quàm enim prudenter illam ut normam sentiendi quis sequitur; tam malè observat ut normam agendi. *Senti cum multis: operare cum paucis.*

XVI. Solâ ergo notitiâ, quam de filiabus vestris habetis, nitimini, & tantum de illarum constantiâ vobis promittetis? Verùm an nescitis, illam solùm mulierem invictam esse, quæ non est oppugnata? Cælum Philosophi idèò dicunt esse incorruptibile, quod contrarium non habeat. O quot personæ hoc modo sunt incorruptibiles! bonæ sunt, quia occasionem non habent, quâ malæ sint: de cætero, si quas insidias ex occasione amicus hostis strueret, vix uno die in suâ integritate persistenter.

XVII.

*De Co.
tempo
Mundi.*

XVII. Multo minùs velim mihi reponi, filiam vestram admodum bene institutam, prudentem atque sagacem esse, ita ut sciat, dignoscere laqueos, si quos illi parari contingeret: fieri enim potest, ut talis quidem in presentiarum sit, cum sui etiamnum pocius est, sed finire ut amare, & aliquem deperire incipiat, & videbitis eam non minùs quam aliam quamlibet, laqueis implendam. Observatum est, belluas nullo alio tempore faciliùs in calles ac reia incidere, quam cum generandi stimulis perurgentur: tunc enim passione abripiuntur, ita ut omnia longè imperfectius cognoscant, quam quovis alio tempore. Par conditio filiarum vestrarum est, ut ut nunc laqueos & reias perspiciant, amore tamen ita excœcabantur, ut postmodum non tam prudentes atque sagaces sint in evitandis, quam modo videntur. Demus etiam, suo illas Amore non excœcari, an non Amantes ipsi sufficienter ad eas excœcandas? finire incipiant afferre dona; modò velum elegans offerant; aliàs vestem pretiosam promittant, aut aliud quippiam nundinarum tempore comparandum, & mox mira videbitis. Providi Ducis bellici effatum fuit: Nullam esse urbem arcemve tam munitam, quæ expugnari non possit, si mœnia quatiantur machinis confectis ex metallo, quale Mexicum Carolo V. transmisit. Dicere nimirum volebat: donis sæpius oblati omnem denique fidem cedere & expugnari. Et sapientis sit, existimare, infirmum pectus femine non

expugnandum repetitis ejuscemodi machinarum ictibus, cum satis constet, plures ex hoc sexu induci ad peccandum cupiditate habendi, quam studio voluptatum? Unde sapienter olim Pythagoras: Aurum igne, feminam auro probari. Magna est mulier, quæ muneribus non vincitur.

XVIII. In quo igitur fiduciam vestram ponetis? forsan in illorum bonitate Juvenum, qui domos vestras percursant? Verùmò vos miseros! si in his fiduciam vestram collocatis; etenim jure optimo quis dixerit, cannae vos & arundini contractæ inniti. Hos namque plus quam aliud quidquam timere convenit. In ultimo Septentrione urli nullo magis tempore damnum *Olans M.* afferunt, quam hyemali: cum enim colore sint candido, inter ingentia nivium volumina minus observantur, & minùs timentur. O quantum foret melius, meâ quidem sententiâ, si ædes vestras milites, aut aliàs libero vivendi genere suspecti Juvenes frequentarent, quam isti in modestæ speciem compositi: illo enim justo metu filias vestras cautè admodum custodiretis; hi verò quia prudentuli videntur, & prætextu temporis fallendi domos vestras subeunt, aut ad vos tanquam sanguine juncti invisunt, quamvis plùs quam urli sint (adeò & versuti, & audaces sunt) quia tamen albi sunt, non timentur, & hoc ipso magis nocent. Nec, quia non initio statim hæc damna se produnt, ideo minus certò sunt eventura. *Spina, ait S. Augustinus, non pungunt in radice, & tamen quod pungit, ex 1. 39. radice procedit. Sensim cū spina in terrâ radi-*

radices egit, aculeos progerminat. Sic paulatim nascitur confidentia, & velut in re suâ, dominium ac possessio; nec pungitur tantum, sed & laceratur honestas.

Quod si postmodum puella gustum quendam peccati percepit (quod nimis pro dolor! frequens est) omnino aliud remedium, quo ad frugem reducat, non superest, quam commercium omne cum ejuscemodi Juvene recidere. Absque hoc enim omnia alia in irritum cadunt. Quàm ferorquet, quàm in omnem se partem vertit cerva celo transfixa? & tamen, donec è plagâ sagittam extrahat, quid miseram juvat fugere? Ita quot consilia, alioquin bona, Confessarius fugerit? nihil autem his omnibus efficit, quoadusque latro ille domesticus procul esse jubetur. Et ideo *super filiam*

Eccli. 4. luxuriosam confirma custodiam, ait Spiritus Sanctus, *ne quando in opprobrium faciat te venire inimicis*: nisi in tempore hanc procandî licentiam susuleritis, sic crescet, ut in opprobrium vestrum indelebile tandem desinat. Cur igitur animo vestro necdum discernitis, illam tollere? an possibile est; ut datâ operâ somnum vestrum Serpenti proximi continuare velitis, & non potius ejusdem caput contedere? Quæ perveritas est, eò hodie rem devenire, ut tanquam mos laudabilis defendatur, quod tanquam certam Juventutis pestem junctis animis & viribus in ultimam Thulem relegare oporteret?

2. Theff. XX. Denunciamus vobis in nomine Domini Jesu Christi, ut subtrahatis vos

ab omni fratre, ambulante inordinatè. Denuncio & ego vobis in nomine Domini, quòd nisi filias vestras à gravissimis hinc periculis subtraxeritis, & vestras, & illarum animas æternum suis perdituri. Illarum quidem, cum sit difficillimum, pestem non contrahere, & tamen auram pestilentissimis vocibus contaminatam attrahere, & exempla pessima, gestus turpissimos, ante oculos habere. Vestras autem, cum filiarum vestrarum peccata vobis imputabuntur, qui ea tam facile impedite & potuissetis & debuissetis, Servus, qui Herum à morte sibi inferendâ non prohibet, juxta Leges & Jura, rationem hujuscæ necis debet reddere. An non Pater & Mater rationem DEO reddent, qui mortem filiarum æternam non impediunt, quâ & quotidianam ejus incurrendæ occasionem subministrant? Hæc mea denunciatio est, quid contra reponitis? qua ratione in posterum suscipieris negotium hoc tanti momenti? an ego vos inter fidei nostræ amicos, an inter inimicos numerabo? *Qui suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infidelis deterior*; ait S. Paulus: & argumentum illius hoc est: Aut enim hujusmodi Parentes credunt, quòd peccatum inter mala sit maximum; credunt, quòd Deus severissimo illud judicio sit examinaturus; credunt, quòd æternâ pœnâ sit multandum, quotiescunque non fuerit seriâ pœnitentiâ expiatum; vel non credunt? si non credunt, fidem negarunt, & infideles sunt. Si credunt, & nihilominus suis non melius consulunt,

*l. cum
aliter
& si
manus
ff. de S.
C. Sicut
& Clau.*

salunt, sunt infidelibus deteriores, eò quod non obstante tantâ cognitionis luce, agant nihil. Nisi malimus dicere, ideò Parentes hosce Infidelibus deteriores esse, quia deteriores sunt Mahometanis, qui summam honestatis filiorum curam & gerunt & proficiuntur. Audite me tandem, Dilectissimi, qui non aliud, quàm vestrum, vestrorumque bonum promoveri contendo, tollite istos abusus, latrones ac fures domesticos amandate, & sinite vobis tandem persuaderi, quòd unum ex præcipuis mediis salutis vestræ sit, recta Liberos


educatio, quos DEUS vobis eum in finem concessit, ut vos, quos ad statum matrimonialem vocavit, hâc viâ ad cælum perduceret. *Mulier salvabitur per filiorum generationem, si permanserit, aut ut alii legunt, si permanserint in fide & sanctificatione.* Sal. vabitis filios vestros, postquam generastis eos, instituendo bonis moribus, & illi salvabunt vos, vestra monita accipiendo. *Mulier salvabitur per generationem filiorum, si permanserint in fide & sanctificatione.* Ita Deus ad communem omnium salutem largatur,

1. Tim.
2. 5.
Vide
Theophil.
& Hug.
in hunc
loc.

DISCURSUS XVI.

De Obligatione Filiorum, ad exhibendum

Parentibus honorem.

I.  Pud veteres Persas duæ res magno habebantur opprobrio; mentiri, & nomina sua non exsolvere. Quod attingeret mendacium, non potest negari, oppido illud esse turpe; etenim si infamis est, qui monetam adulterat, jure longè majori infamis censetur, qui cor adulterare præsumpsit. Quod autem æquè probrosum sit, sua debita non expungere, non ita manifestum est; siquidem hoc sæpenumero ex obæratæ inopia potius, quàm ex culpâ oriri potest. Unde Lex ista à rectæ rationis Tribunali probari, atque ut justa admitti non potest, nisi

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

ita explicetur; quòd nimirum per nomina & æs alienum intelligantur beneficia; nomine autem obæratum, Ingrati, qui sua non respondent obligationi. Hi jure meritissimo humanæ generationis opprobrium compellendi sunt; cum ejusmodi debitum non solvant, quod si alius solvendi modus non suppetit, solo possunt animo expungere; amando scilicet illum, à quo boni quidpiam in eos derivatum est. Quod si ita est, inter abominabiles istiusmodi debitores meritò numerandi veniunt filii illi ingratiissimi, qui ingratiissimo tantùm animo ingens illud beneficium, quod nascendo à parentibus acceperunt, compensare velle videntur. Quæ me hodie causa impulit,

Ee ut